



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

Cap. I. Natalis & vitæ Religiosæ dilectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

VITA
P. CAROLI
SPINOLÆ
SOCIETATIS IESV.

CAPVT I.

Natalis, & Religiosæ vitæ dilectus.



ATVS est CAROLVS Ge-
nuæ anno quarto & sexagesi-
mo supra millenos quingente-
nos, progenie Comitum Taf-
saroliorum: qui locus Genuâ
abest itinere ferè diei. Auum habuit Comi-
tem Augustinum Spinolam: quem Cæsar
Carolus, eius nominis Quintus, ob diuturna
cùm bello tum pace obsequia, amplissimis
vectigalibus est muneratus. Vir fuit inclytæ
fortitudinis famâ, quam varijs seditionum
tumultibus patriæ suæ probavit. Ac tum in-
primis, cùm fratris sui Bartholomæi ope, im-
petum fregit Gagnini Gonzagæ; qui, pulsato
quem vocant S. Michaëlis muro, oppidum
eâ parte inuadebat. Missus deinde cum ex-
A peditis

peditis peditum copijs ad portum Finum, hostem iam in ripâ expositum, locique propè potiuntem, fudit. Semel & iterum Serenissimæ eius Reipublicæ copias summo cum imperio duxit : quo tempore, cum fortè in Corsicâ degeret, septem Corsorum millia prope Morelagiam deleuit. Fuère Augustino quinque filij. Horum natu maximus M. Antonius, quatuor & quadraginta annorum spatio, quaternis continenter Imperatoribus, Carolo V. Ferdinando I. Maxæmiliano & Rodolpho Secundis, operam vario obsequiorum gradu, impendit; initiò, à cubiculis; deinde, à maiore stabuli præfecturâ : denique, morum formandorum Magister datus filijs Maxæmiliani Augusti, cum in Hispaniam proficiscerentur; vbi & sacrâ D. Iacobi cruce & lautissimâ pensione est ornatus. Huic proximus Hector Spinola, è Philippi Secundi puero honorario in alia munera promotus, ab eodem Crucis Alcantarensis insignis cum liberali stipendio accepit : atque hic, bello cum Turcis nauali, triremes Reipublicæ summâ cum potestate administravit. Tertius, Philippus, ex Antistite Nolano Cardinalis factus est à Gregorio XIII. petente Cæsare Rodolpho. Quartus, Fabricius, cum literas primùm adamasset, studio amplectendę vitæ sacræ, deinde vrbani honoribus contentus, ætatem

ætatem in patriâ procul strepitu exegit. Postremus, Octavius; & ipse Imperatori Rodolpho in primis charus, eiusque magnus stabuli Magister. Hoc parente ortus est Carolus, qui peractâ infantia, exultaque primis Grammaticæ rudimentis pueritiâ, in Hispaniam (per quam nescio causam) contendit; vnde mox redux in Italiam, commigravit Nolam, ad patrum Cardinalem Philippum; qui vrbis illius sacrum Antistes, procurabat. Hic curis denuò in studia versis, animum disciplinis, corpus dignis nobilitate laboribus exercuit: quibus se nempe ad quamcumque fortunæ conditionem fingeret; quam aut patris Cardinalis liberalitas, aut patris sui apud Cæsarem gratia, sibi aperiret. Sed nimirum, qui alia omnia destinabat DEVS, hisce cogitationibus interlapsus, omnem repente terrenarum rerum affectum procul animo Caroli relegavit, ac viam quamdam indidit cognitionem altiorum rerum: quanta scilicet breuitas esset humanæ vitæ; quanta incertitudo supremæ illius horæ; quàm instabiles mortaliū spes, quæ Deo non sunt nixæ; quàm caducæ sæculi dignitates: quæ sepè aut vix susceptæ evanescent, aut si aliquanto temporis tractu perseverant, possidentem, amaritie, deserentem, dolore vexant. Dum has similesque cogitationes cum animo versat, commodum

nuntij Neapolim adferuntur de morte P. Rodolphi Aquaiuæ, Ducis Hadriæ filij, Societatis nostræ Sacerdotis, quem barbari Salfetanarum Insularum, in odium Religionis Christianæ, necauerūt Idibus Iulij anno 1583. Id mortis tam fortunatæ genus, vehementius scilicet generosum Caroli pectus percussit; qui alienæ victoriæ flammâ accensus, mox etiam paris desiderio mortis exarsit. Re ergo DEO commendatâ, secum statuit Religiosum Societatis IESU Ordinem inire, iterq; in Indiam omni deinde contentione procurare. Hæc res Carolus ipse affirmat scriptis Omurano è carcere literis ad Reuerendum admodum P. Mutium Vitellescum, hoc ipso tempore Præpositum Societati vniuersæ. Quibus post alia, narrans suam ob Christianæ legis præconium captiuitatem, eximium hoc suæ patientiæ beneficium, maximam partem acceptum refert precibus P. Rodolphi, cuius se morte pro Christo obitâ excitatum, ad Societatis Iaponicæque profectionis ingressum tam enixè flagitandum affirmat. Neque parum etiam ad hoc consilij arripiendum eius mentem inflammarunt verba quædam, altè in eius animum demissa impressaque, à nostro quopiam excellentissimæ virtutis viro; quæ cum alijs nonnullis, tum vni præ ceteris (quo in Iapone ad imbuendos Catechesi

barba-

5
 barbarorum animos utebatur) ipse aperuit in
 hanc ferè sententiam: *Aliquando cum fortè
 adhuc adolescens inter aequales versaretur, ab-
 tractum se seorsim à Patre quodam fuisse, qui ei
 prædicebat, fore eum aliquando Societatis Re-
 ligiosum, profecturumq; in Regnum, cui Japonis
 nomen, ad fidem propagandam. Ac tertium ali-
 quid prætereà ab eo sibi dictum aiebat Carolus,
 quod huc usque non euenerat. Cuiusmodi ve-
 rò id esset cum flagrantissimè scire ille cupe-
 ret, nihil aliud à Carolo responsi abstulit,
 quàm, fore aliquando ut sciret. Rescivit au-
 tem ex homine aliquo Societatis, cui id fortè
 à Patre erat indicatum; sanguine nempe suo
 Religionem eum esse signaturum. Atque
 hinc incessit rumor, mox promptis Japonum
 sermonibus vulgatus, Carolum à puero præ-
 sciuisse moriturum se ob Euangelicæ verita-
 tis prædicationem.*

CAPVT II.

*Ingressus in Ordinem Societatis IESV,
 & studia.*

POSTQVAM iam secum statuisset, Chri-
 stum vocantem sequi, desiderium hoc
 suum cum ijs pertractauit, penes quos sciebat
 auctoritatem esse, sui in Religiosam familiam
 accensendi. Ab his verò id iussus est, cogna-